



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Quæ partes hominis lethaliter afficiantur, vel nó afficiantur? item quid sit morbus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

sidio desinet consentire, vna alteraue, aut qualitate, aut, si maus, elemento nimium quantum excedente, alterumque extinguente. *Secundum naturam igitur est sanitas, ait Galenus: Prater naturam Gal. loc. cit. morbus: ut natura crassus, pinguis, aduncus. Hoc enim modo affecti, non secundum naturam se habent. Transcendunt enim symmetriam & aequalitatem, impediunturq; , quò minus suo fungantur officio. Hoc autem non natura est tale, quod neq; secundum naturam est, neq; prater naturam, neq; natura est; quemadmodum qui vitiligine laborant, quosq; acrochordones exercent, & id genus vitiorum. Hac enim secundum naturam non sunt. Sunt enim extra naturale, neq; tamen prater naturam. Non enim naturalis operationes offendunt. Sed neq; a natura sunt, non enim ab initio, hoc est, quò homini, sed ab ortu (& vitio parentum, vel qualitatum) insunt. Relinquitur ergo, ea non esse à natura.*

Subiungit his author, quænam magis, quæ minus naturam hominis destruant, aut vitia vitam impedian, vel tollant. *Hac autem, inquit, vite officio necessaria sunt, cerebrum, cor, jecur, pulmo, venter, quorum si pars aliqua morbo obsessa sit, necessario statim, vel paulò post, animal interit. Ad bene viuendum sunt apta, oculi, pedes, manus, & alia corporis partes. Harum enim aliquà affectà viuut animal quidem, non verò satis commodè. Exinde progreditur Galenus ad has morbi definitiones. Morbus est intemperantia primorum elementorum, qua secundum naturam in nobis sunt. Vel: Morbus est intemperies humorum, ex quibus corpora nostra constituuntur. Aliter sic: Morbus est naturalium potentiarum impedimentum, vel: Morbus est mutatio corporis à dispositione & statu naturali, in eum, qui prater naturam est. Vel: Morbus est intemperies primarum qualitatum, in qua exuperat vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccum. Morbosa autem dispositiones corporum ex contrarijs temperatura partibus prodeunt, quemadmodum optima temperatura constituuntur ex symmetria instrumentariarum partium, & bona temperie simularium. Manifestum est igitur, morbos homini esse naturales, non quia homo, sed quia animal est, ex elementis compactum. Quæ elementa tunc facilius insolescunt, & exorbitant, si à loco, vel potiùs infectione loci ac elementorum seducantur. Quod elegantissimè Lucretius Poëta Philosophicus sequenti carmine explicauit,*

Nunc,

II.